sched. 12

DE PRAECIPUIS FUNDAMENTIS

DIAGNOSEOS MORBORUM COLUMNAE VERTEBRALIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM PUBLICI JURIS FECIT

JOHANNES BAPTISTA CELOTTI

TARVISINUS

MEDICA LAUREA HONESTANDUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIX.

Digitized by Google

326

Digitized by Google

Quamquam mihi suasus sim, Viri spectatissimi, juvenem inexpertum de praxi medica haud disserere posse, nisi praeceptis ad lectulos aegrotantium jam traditis obtemperando, easque res seligendo, quibus minorem ambiguitatem inhaerere existimat: tamen etsi arduum valde argumentum pertractandum mihi proposuissem, opinatus sum, tyroni quoque licere investigationes ab aliis institutas in medium afferre, eas explicare et observare quibus innitantur fundamentis, ut melius agendi rationes, more clinico, observatione et experientia duce, innotescant. Nil est fortasse in praxi medica tam ambiguum, quam morborum columnae vertebralis ad diagnosim viam sternere; quum enim in infirmi conditione investiganda gravia phaenomena uni, vel alii visceri tribuantur (neque pathognomonica signa apparentia desunt) haec nonnisi indirecte ad hoc viscus peraccidens affecto pertinent. Hoc

Digitized by Google

278

non raro accidisse pluries compertum fuit clinicorum plurimorum sententia; quapropter non inutile judicavi, studium meum, prout vires sufficiant, ad id conferre et in hac solemni caeremonia hasce elucubrationes publici juris facere. Vobis itaque, Praeceptores sapientissimi, meam imperitiam commendo, hosque discipuli gratissimi labores, qualescumque sint, lubenti animo, precor, excipite.

Substantia mollissima quae cerebrum ac cerebellum constituit, quaeque in medullam oblongatam veluti videtur coarctata ab hac usque ad primam, vel secundam lumborum vertebram sub funiculi forma continuat, ut medullam, sic dictam, spinalem constituat; haecque medulla a prima vel secunda lumborum vertebra in varia filamenta dividitur, quorum finis ad ossis sacri extremum observatur: in hoc vero spatio caudam equinam anatomicorum format. Haec substantia adiposa a tribus iisdem cerebri membranis, dura matre scilicet, arachnoidea, et pia meninge, vel vasculari contenta, canalem, qui theca vertebralis, sive rhachidem sonat, implet; hic vero canalis a vertebris ipsis constitutus, tribus componitur textubus, periostio nempe, cartilaginibus, osseaque spongiosa materie, in cujus penetralibus pinguis et vix non fluida substantia continetur.

Digitized by Google

Filamentorum nerveorum triginta paria a medulla spinali incipiunt, vel potius in eandem desinunt, octo scilicet cervicalia, duodecim dorsalia, lumbalia quinque, totidemque sacralia; et duplici insitione, tot filamenta ad medullam ipsam perveniunt. Haec omnia nervorum filamenta ex se aut nervi sympathici ope per vasa, musculos et viscera, quae in collo, thorace, atque abdomine continentur, distributa, vitae organicae praesunt; qua de causa, si morbosi aliquid in textubus organicis contingat, huic nervorum systemati subjectis, vel in medulla spinali a qua haec filamenta procedunt, processus morbosi phaenomena, mutuo exercere possunt: hinc nil mirum, si in praxi clinica morbi sedes nunc in medulla spinali, nunc in visceribus huic obnoxiis collocetur, diagnosisque incerta non raro resultet, dum morbosa phaenomena aliquando inter se similia uno aliove in casu manifesta fiunt. Et revera diaphragma, ani sphincter, musculi occipitis, colli, dorsales, lumbales, pectorales, abdominales, artus superiores et inferiores, cutis organon, pudenda, cystis urinaria nervos a medulla spinali repetunt; gangliorum vero ope et cum nervi magni sympathici surculis conjunctione proxime aut remote, medulla spinalis ipsa cum visceribus paene

Digitized by Google

380

omnibus rationem habet. Quod si consideremus substantiam atque membranas a cerebro ipso medullam spinalem accipere et cerebro etiam veluti nervosi systematis centro omnes organismi partes subjectas esse: illam ipsam quasi cerebri appendicem definiendo, nexum pergrandem constituimus, quo dato, magnum morbosorum symptomatum chaos, phantasia nobis repraesentat. Nimis vero generalis haec considerandi methodus attentionem aufugit, et mihi absit ordinis naturae abnormitatem sequi: ceteroquin sicuti capitis, totiusque organicae compagis fulcimentum columna vertebralis sistit, magni faciendae erunt rhachidis qualescumque mutationes, ut motus vitia recte quo fieri potest interpretari possimus. Messis vastissima mihi metenda paratur; quapropter argumenti difficultatem imminuere methodo analytica conabor.

Sciendum primum est, multos esse morbos qui vel ab affectione primaria medullae proficiscentes, vel influxum quemdam in nervos, quorum finis vel origo in ipsa medulla demonstratur, exercentes, una cum istius affectione curriculum proprium percurrunt ita, ut difficile sit protopathiam legitimam designare. Exemplo sint exanthemata ac impetigines, in quibus cutis conditionem a medullae spinalis

Digitized by Google

laesione vel nervorum suorum pluries observatur pendere: thoracis affectiones in genere, nam aphonia, dyspnoea, cordis palpitatio, spasmata varia a laesione medullae spinalis pluribus in circumstantiis originem ducunt: spasmata musculorum abdominis, hujusque cavitatis viscerum abnormitas, motus etiam peristaltici laesio, omnia non raro a laesione nervi sympathici, medullae spinali communicata ac viceversa: affectiones cystidis urinariae, organorumque reproductionis in sexu priori et sequiori, quoniam nervi eorumdem a medulla spinali proveniunt: tabes pulmonum et hepatis; paralyses denique, artuum superiorum et saepissime inferiorum, quae vitium rhachialgicum pro fomite frequenter tenent. Si vero investigationem ultra ferre velimus, febres ipsas intermittentes simplices, nec non perniciosas magni intercostalis ope una cum medullae spinalis affectione procedentes, facillime observare poterimus.

His praemissis, nemo est qui non videat, arduum maxime esse protopathicum morbum a deuteropathico distinguere, si quando de columnae vertebralis quacumque agatur affectione, vel de eadem saltem adsit suspicio. Verum enimvero, quamvis inficias ire non possumus, multis ambagibus plenam esse diagno-

Digitized by Google

282

sim, tamen causarum investigatione, et morborum praegressorum anamnestica analysi, magnam possumus lucem afferre. Interea nos generalia signa usque adhuc a clinica observatione desumpta producimus.

Dolor in primis quo fere omnes morbidae affectiones comitantur, quique, paucis exceptis, circa morbi sedem plerumque ab aegro accusatur, in morbis columnae vertebralis, aliquando in spinae tractu, non raro ad costas, ad brachia, ad abdominis musculos, ad femur, ad tibiam, ad pedis digitos circumscriptus reperitur. Hoc in plurimorum clinicorum scriptis invenimus, et praxi quotidiana multoties confirmatur. Hac itaque ratione dolor etiam in regionibus longinquis ab aegro accusatus, si hae regiones consensum nervorum cum medulla spinali teneant, sique alia phaenomena ab analysi deducta existant, potest quidem jure ad medullam ipsam spectare.

Et stando, et horizontali modo decumbendo, prono vel supino corpore potest infirmus notiones maximi momenti de morbo suo suppeditare. Generatim loquendo sub columnae vertebralis affectionibus augetur dolor in primo casu, imminuitur in secundo; hocque vero repetendum credimus, stante corpore, a musculorum labore qui columnam erigunt, vel ab

Digitized by Google

eorum requie in decubitu, nam nervorum surculi non pauci a medulla spinali derivantes in hosce musculos desinunt, hincque distensione atque rigiditate dolorem augere valent. Generatim diximus, neque immerito, culcitrarum enim lanea materies calorem nimis conservat, qui aliquando humorum omnium ad columnam dorsalem copiam majorem ducit, unde non raro dolor in horizontali decubitu augetur. Hoc signum tamen adjuvare potest, aegri ipsius sese movendi facultas imminuta, scilicet si horizontaliter degens, difficulter lateralem decubitum possit seligere, et ab uno ad aliud latus transire nequeat.

Majoris certitudinis de medullae spinalis laesione signa haurire potest medicus ex sensilitatis et irritabilitatis fonte. Artuum inferiorum atque superiorum facultas sentiendi atque sese movendi sane pendet a nervorum filamentis quae directe a medulla spinali procedunt; et idcirco si pereat facultas motrix atque simul anaesthesia infirmus laboret, id quod paralysim completam constituit, in artuum regionibus, affectionem primariam in medulla spinali statuere possumus, quae diagnosis confirmatur ab aliis signis quibus rarissime caret hujusce morbi processus.

Textus cartilaginei elasticitatem demonstra-

314

runt physiologi, hancque textus ipsius proprietatem sicuti et aliorum est cognitio, rationi consonum est, post somnum et requiem majorem vim exercere quam post diei laborumque curriculum, in iis praesertim qui sana corporis compage aeque ac juvenili aetate fruuntur. Huic observationi clinicum criterium sane validum innititur ubi saltem suspicio de spinae dorsalis affectione habeatur: cartilagines enim intervertebrales situm occupant inter unam aliamque vertebram prope foramina, ex quibus nervorum spinalium filamenta exeunt; hinc nil mirum si phaenomena morbosa quae a nervorum spinalium compressione originem ducunt, post somnum et requiem horizontali corpore habitam, leviora sint, horis autem vespertinis, post diei laborumque curriculum graviora. Ex observationibus plurimorum constat, humana corpora, juvenilia praecipue, mane quidem post somni restaurationem in longitudinem augeri, id quod cartilaginum elasticitatem probat; quoque vere phaenomeno mere physiologico nervorum spinalium compressio decrescit, morbosa decrescunt signa, et hinc patet aliud diagnoseos fundamentum.

Haec sunt signa diagnostica inter praecipua, quae oretenus aegrotantis, medicorum oculis sagacique interrogatione colliguntur; minime

Digitized by Google

vero prosunt aliquo in casu ad medicum de vera morbi sede certiorem reddendum nisi ille perspicaci aetiologica investigatione causas cum effectibus comparare queat. Modo reliquum est ut medici attentio ad columnam vertebralem dirigatur, et ex locali investigatione aliquid certioris eruat. Hujusmodi investigatio fieri debet sub varia aegrotantis positione, stante corpore incipienda prius, decumbente ipso, prono et ad utrumque latus converso perficienda. Initium sumat medicus a primis vertebris cervicalibus, unamquamque vertebram singillatim usque ad os sacrum videat, tangat; deinde ab osse sacro, ordine inverso, ascendat ad cervicem usque. Hoc modo quaelibet intumescentia visui, quilibet dolor tactui patent, quin morbi sedes non nimis sit recondita.

Habemus praeterea experimentum, quod quatuordecim abhinc annis Anglus quidam medicus *Copeland* publici juris fecit, obiter vero ab eodem institutum. Si morbus spinae a vertebrarum laesione procedat, vel ad filamenta nervorum, quae posterius a medulla ipsa exsurgunt, proxime pertineat, aliquid prodesse potest linteum duplicatum, triplicatum, quadruplicatumve fervente aqua madefacere, illoque apophyses spinosas vertebrarum ascen-

Digitized by Google

386

dendo simul per columnam et descendendo tangere, eodemque tempore caute notare quem sensum aegrotans ipse percipiat. Auctor asseruit calorem hac ratione applicatum in vertebris illaesis gratam sensationem producere, in illis e contra laesione quadam laborantibus vel morbi sedi proximis, ardorem summe molestum eidem infirmo afferre. Quomodocumque res se habeat, hoc facile experimentum non parum ad diagnosim conferre potest.

Maximi momenti est ad rectam hujusmodi morborum diagnosim instituendam inquirere, quae iisdem faveant circumstantiae nonnullae. Nobis esset physicum, mechanicum, physiologicum, pathologicum influxum considerare, contagiorum et venenorum inde actionem investigare; hinc nunc esset disserendum quomodo conferre possint calor et frigus, internae externaeque laesiones, plethorica conditio partialis et universalis, motus nimius, nimia venus, animi pathemata, metastases, dyscrasia scorbutica, syphilitica, et venena praecipue metallica: sed ne prolixa extra tempus disceptatio fiat, breviter et in genere de omnibus aliqua exponere conabimur.

Caloris et frigoris ratione habita, sciendum est morbis columnae vertebralis laborare posse eos praesertim qui radiis solis quotidie abs-

que mora sese exponunt, uti omnes qui colunt agros; nam continuo dorsum calori praebent et fere semper incurvati proprium munus exercent. Ratione inversa, facili negotio praedisponuntur illi qui aeri frigido, nocturno et ventis, stante corpore vel sedente, muneris proprii causa expositi sunt; ita aurigae, milites et nautae praecipue. Ad laesiones externas facillime nascituras conferre possunt ludus gladiatorius, pilae ludus sive sphaeromachia, equorum ascensus omnesque ludi violenti, inconcinni, pedestria itinera per vias inaequales, montuosas, lapidosas, ponderaque non idonea viribus. Ad internas vero pertinent summopere aneurismatum et abscessuum infaustae sequelae, quae vertebrarum erosionem producere solent.

Status plethoricus arteriosus venosusve sit, in cranii, thoracis, vel abdominis vasis majoribus congestivam conditionem in illis quae ad medullam spinalem spectant, inducere potest, idque saepe saepius observandum occurrit in iis qui habitu apoplectico sunt instructi. Veneris nimiae infaustae sequelae sine labore desumuntur, praecipue si anatomica ratione observemus, nervum spermaticum externum originem habere a primo et secundo pari nervorum lumbalium, nervumque pudendalem

'88

superiorem a tertio et quarto pari nervorum sacralium ortum ducere. Animi pathemata nonnulla influunt, siquidem paralyseos speciem inducunt; affectus etiam animi, quales sunt metus et terror, ira, tristitia et alii quoque maximi sunt habendi. Nimis metuendae metastases sub morborum exanthematicorum curriculo enatae, uti sunt illae, quae in acmine morbillorum, variolarum et scarlatinae occurrunt, quando hujusmodi exanthemata nervosis, uti dicunt, stipantur phaenomenis: facile enim medulla spinalis corripitur, quoniam nervorum suorum ope cutis organo directe praeest.

Dyscrasia scorbutica in qua venositas adaucta ex phlebitide lenta procedens observatur a medicis, morbis medullae spinalis ansam praebere potest, praxisque medica paralyseos exempla suppeditat in scorbuto et in pellagra, quae uti scorbuti species, sub *scorbuti alpini* nomine primis descripta fuit temporibus. Qui vero syphilitica lue laborarunt, fractura virium, seminisque jactura et doloribus chronicis lumbalibus medullae laesionem quamdam repraesentant.

Venena denique et praesertim metallica, uti hydrargyrum, plumbum, cuprum, morbis medullae spinalis symbolam suam conferunt, si diuturno tempore parva dosi adhibita fuerint;

Digitized by Google

quod si magna dosi, uti in veneficiis contingit, ingesta sint, tunc phaenomena paralyseos medullae spinalis, suorumque nervorum neutiquam desunt, et veneficiorum historiae, fataliter plures, evidenter hoc confirmant. Medicus igitur in hac difficillima diagnosi ex omnibus iis quae nisi influxum directum, hujus saltem suspicionem inducunt, elementa hauriat, summaque patientia in dies magis magisque investigare studeat, si comparatione instituta, causae effectibus propriis respondeant.

Qua potui diligentia pauca haec, observatione atque experientia medicorum praesertim duce, desumpta, ut Academicis legibus obtemperarem, exposui, eoque simul, ut studii valde utile argumentum haberem. Si vero, quod probabile est, manca fuerit idearum expositio, hoc lectores benevoli tribuant candidati necessariae inexperientiae.

Digitized by Google

390

THESES DEFENDENDAE

I.

In mortis processu omnium animalium prius perit vita sensifera, irritabilis postea, et tandem plastica.

II.

In animalibus cerebro a natura orbatis, et ad ganglionica spectantibus habetur quoddam centrum ganglionicum encephali vices gerens.

III.

Animalia quaecumque systemate nervoso perfecto praedita, actionis centrum secundarium in unoquoque ganglio possident, quod impressionum densationi praeest.

IV.

Argumentum medicinae forensis magis inter omnia dubium est virginitas physica.

V.

Facies hippocratica signum non semper lethale.

22 252201

Digitized by Google